

**Menalcas**

Candidus insuetum miratur limen Olympi  
 sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.  
 Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas  
 Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

60    Nec lupus insidias pecori nec retia cervis  
 ulla dolum meditantur : amat bonus otia Daphnis.  
 Ipsi laetitia voces ad sidera jactant  
 intonsi montes ; ipsae jam carmina rupes,  
 ipsa sonant arbusta : «Deus, deus ille, Menalca !»

65    Sis bonus o felixque tuis ! en quattuor aras :  
 ecce duas tibi, Daphni, duas, altaria, Phoebo.  
 Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,  
 craterasque duo statuam tibi pinguis olivi,  
 et multo in primis hilarans convivia Baccho,  
 70    ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra  
 vina novum fundam calathis Ariusia nectar<sup>1</sup>.

75    Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon ;  
 saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.  
 Haec tibi semper erunt et cum sollemnia vota  
 reddemus nymphis, et cum lustrabimus agros.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,  
 dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,  
 semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.  
 Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis  
 80    agricolae facient ; damnabis tu quoque votis.

<sup>1</sup> Litt. Je ferai couler des coupes du vin d'Ariusium (= de Chios), un nouveau nectar (= un rival du nectar ?)